[QVAESTIO MEDICA]

QVODLIBETARIIS CONCERTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA,

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS DECIMA DECEMBRIS,

MAGISTRO CLAVDIO GERVAIS, DOCTORE MEDICO, MODERATORE.

An vlceri exſiccantia?

EX iiſdem rebus ars omnis naſcitur & interit: optimus artis magiſter vſus; hoc dexteritatem agendi ſibi comparat Chirurgus, cuius officium ſynthesi atque diæreſi concluſum, in duobus morborum generibus ſpectatur; ſolutione continui, & immoderatione partis externæ. Ad illam pertinent vulnera, fracturæ, luxationes, vlcera: ad hanc tumores contra naturam, tria ſumma morborum genera ſub vna magnitudine inuoluentes. Totidem tumorum quot humorum differentiæ, qui à ſanguine venæ ſectione, qui à bile, pituitâ aut melancholiâ, conuenienti cathartico curantur. In ipſis, vt in omni morbo ſalutari, quatuor reperias tempora; eſſentiâ, humoris morbifici pepaſmo, ſymptomatúmque magnitudine diſtinguenda. Inflammationum principio topica conueniunt repellentia: vbi nihil profeceris, tentanda reſolutio, ſeu inſenſilis, ſeu manifeſta, malignis tumoribus neceſſaria: tandem ſuppuratio, recidiuæ neſcia, ex duplicis caloris duello, ſed inſiti victoriâ emicans, procuranda: confecto pure, tumor aperiendus, eíque ſuccedaneum vlcus ſiccantibus & detergentibus perſanandum.

VLNVS, continui recens & cruenta ſolutio in partes molles extrinſecus irruens, diuiſarum partium vnionem indicat, quam Chirurgus non aſſequitur, ſi quid extraneum in vulnere conſiſtat, ſi diſſidentes eiuſdem oras vinculis, ſuturis, aut fibulis non adducat atque contineat, partis temperiem non ſeruet, denique ſi ἐπιγινομένοις vt hæmorrhagiæ, conuulſioni, dolori non conſulat. Iſthæc nonnumquam adeo vrgent, vt medicum, relictâ ipſius morbi curatione, in ſui depulſionem adigant. Magnum quacunque ratione vulnus periculum minatur. Vulnerato corde mors ineuitabilis. Hepatis & cerebri vulnera non ſemper lethifera. Vulneratis conuulſio ab inanitione funeſta. Vulnus longè deterius redditur ſi ab animali venenato inflictum. Theriaca & mithridatium ſunt omnium venenorum prima & communia alexipharmaca. Vulnus, intra triduũ niſi coaluerit, in vlcus degenerat, quod ſolo è liquoribus auſtero vino conuenienter abluetur.

CONTINVI in oſſibus diuiſio, ab internis profecta cauſis caries, ab externis & violentis fractura nuncupatur, eorumdem à propria ſede dimotio cauſarum vtriúſque generis conſectaria luxatio eſt, cuius ſpecies ſunt ἐξάρθρωσις, in genu quàm in cubito mitior, παράρθρωσις vertebris ſpinæ dorſi familiaris, & διάστασις in radij à cubito ſeparatione conſpicua. E fracturis recta mitior tranſuerſâ, hæc obliquâ. Quò propior oſſium capitibus fractura fuerit, deterior. Cum oſſis fracturæ carnis quoque vulnus acceſſit, grauius malum, ſed quibus femoris os foras eminet, aut humeri, non euadunt. In omni fracturæ & luxationis curatione quatuor neceſſaria, læſæ partis extenſio manu, laqueis, machinis, extenſæ conformatio naturalem parti figuram ſitúmque reſtituens, conformatæ deligatio, faſciis, plagulis, ferulis, ſtricta non dolorifica, & deligatæ repoſitio in figura rectiſſima, cuiuſmodi brachio eſt anguloſa. In pueris oſſa fracta per ſe coaleſcunt, in cæteris callo veluti glutine circa ipſorum labra concreſcente cohærent, atque citiùs aut tardiùs, vt molliora ſunt vel duriora, ferruminantur.

IN reliquis præter oſſa partibus vnionis ab eroſione diuortia dicuntur vlcera, quorum alia benigna, alia maligna Chironiæ manus indiga, cuiuſmodi ſunt circumglabra, hydropicorum, elephanticorum & veneris impuræ, animaliſue venenati morſu inflicta: ſed præcipuum κακοηθείας gradum occupant Phagedæna, tumidum & profundum vlcus vicinas partes, ſine tamen putredine, corrodens, vulneribus acrium medicamentorum vſu exaſperatis, & herpetibus quorum materia vſtione craſſeſcit, ſuccedens: Nome cum putredine ſed ſine tumore ſerpendo depaſcens, in nomas aphtæ non raro tranſeunt; denique Cancer, aſpectu horridum adeóque proteruum vt mitiora præſidia contemnat, vehementibus efferetur, plane ἀνίατον. Quæ in morbis vel ante morbos oborta ſunt vlcera ſi derepentè liueſcant, reſiccentur, palleant, mors eſt in propinquo. Tumores in vlceribus molles, boni. Vlcus quod pus effundit album, læue, æquale & minimùm fœtens, felicis eſt præſagij.

CVRANDORVM vlcerum primus ſcopus eſt vnio, deſiccatione procuranda, vlcus ſiquidem quantumuis ἀπέλαστον duo profert excrementa, ichorem, quo humeſcit, ῥύπος quo ſordeſcit. Ac niſi ichor exſiccantibus abſorbeatur, putredine virulentus euadet, vt coctione purulentus: ſordes ni detergentibus eluatur, tenaciùs vlceri adhæreſcet, atque id ῥυπαρὸν efficiet. Expurgatũ ſed cauum vlcus, ſarcoticis gignendæ carnis impedimenta ſubmouentibus, & idoneam naturæ generanti materiam comparantibus implebitur, plenum denique per epulotica claudetur, & callo cutiformi tegetur. Ῥυπτικὰ, σαρκωτικὰ, ἐπουλωτικὰ ſiccandi vi pollent omnia, atque ex vlcerum varietate, partíſque vel totius corporis diuerſa temperie æſtimanda. Vlceris compoſiti curatio ab affectibus ei adiunctis ineunda, qui cùm ex ſubiectæ carnis intemperie, & affluentis ſanguinis vitio ortum ducant, his cauſis & inde natis tum morbis, tum grauibus ſymptomatis, omni præſidiorum vacuantium, auertentium, intercipientium, alterantium & corroborantium genere imprimis occurrendum, deinde ad vlceris per ſiccantia curationem accedendum, inter quæ ſuccus agrimoniæ, farina hordei, thus, mel roſaceum & mundificatiuum de apio moderatas vires obtinent. Terebinthina, ſuccus & ſyrupus abſynthij, farina orobi, radix ariſtolochiæ, myrrha, valentiores. At centaureum minus, vnguentum apoſtolorum, ægyptiacum non modò ſiccant, ſed etiam carnem corruptam exedunt, ideóque putridis vlceribus accommodatiſſima.

Ergo vlceri exſiccantia.

Propugnabat MICHAEL SEGVYN Pariſinus, anno R. H. 1615.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.



M. Philibertus Guybert.
M. Ioannes Pietre.
M. Ioannes Couſin M. R.

M. Hieronymus Goulu, Prof. Reg.
M. Symphorianus Hautin.
M. Henricus Blacuod M. R.

M. Ioannes Beauchesne.
M. Henricus Blacuod.
M. Nicolaus Ellain.